

tate præstabit, securitatem quoque perfectam, animi quietem, corporis sanitatem, ac pro mensura genituræ commoda lucra largietur.

Cum Mercurio regnans Luna, maximas ægritudines, maximaque languorum uicia denunciat, si fuerint male affecti, sin secus, lucra, honores, & optimam corporis ualitudinem pollicetur, & ita genitum ad crebra itinera solito procliuiorem efficiet.

De Luna Chronocratore.



Vna decennij moderatrix minuta luminibus, si ad Saturnum feratur uel plena ad Martem, omnifariam mortem decernit. Si uero plena luminibus, beneuolarum fuerit testimonijs adornata cum maximis licet laboribus, non modica tamen patrimonij siue diuitiarum & honoris incrementa donabit.

Si regnarit cum Luna Saturnus, & Luna fuerit minuta luminibus, & a maleuolis deprauata, ex uitiosis humoribus, aut ex aquis, aut naufragijs miseris mortes, miseramque periculorum decernit exitia. Si uero plena sit, faciet quidem hæc eadem, sed euadendi dabit facultatem.

Si imperium temporis habuerit cum Luna Iupiter, omnia bona cum lætitia & hilaritate decernit, præsertim si Luna fuerit plena luminibus, tunc enim pericula, tunc metus, tunc ægritudines sopiuntur, tunc (pro genituræ mensura) foelicitatis augmenta procedunt, resque aduersæ prosperum consequuntur exitum.

Dominium temporis obtinens cum Luna, Mars: si illa fuerit lumine plena, maximas turbationes, seditionesque decernit. Sed si Luna in themate geneseos fuerit Martis uel Saturni quadrata, uel diametra radiatione fauciata, cruentum calamitatis exitum denunciat.

Rex temporis affectus cum Luna Sol, exultationes, ægritudines, & flagrantium febrium, miseris languores indicit, sed hæc omnia prosperum Iouis testimonium mitigabit.

Venus, deputatum sibi a Luna tempus accipiens si fuerit diurna genitura, sterilitatis malum minatur nato. Si uero nocturna, honores claros, & maxima lucrorum incrementa largitur, præsertim si Luna fuerit splendore ac luminibus diminuta.

Cum Luna Chronocrator Mercurius, frigidæ ægritudines cum maxima corporis debilitate potissimum denunciat, natum quoque ad itinera solito propensiorē rediget, & in rebus Mercurialibus fortunatiorem, præsertim si fuerint in utroque themate bene affecti &c.

CAPVT DECIMVM

De domino orbis.



IXIT Hermes, quod dominus circuli sit de occultis secretis huius scientiæ, & quod gens Babiloniæ occultabat, & non ostendebat nisi sapientibus, hoc scire merentibus, & habet magnam significationem, & fortem in natiuitate, & reuolutione annorum, & cognosces eius significata hoc modo.

Vide dominum horæ natiuitatis, & da eum ascendenti, & primo anno natiuitatis, & a statu eius iudicabis salutem corporis, & infirmitates eius, sicut facis a domino ascendentis radicis.

Et dabis dominum horæ secundæ natiuitatis domui secundæ radicis, anno se-

K k

cun?